

tibnis consulto, die 16. Februarii 1630. multo disertius firmiusque prædicatoribus adiudicavit. Non ergo culpandus Canus, quod illud Romanorum pontificum in factis duntaxat historicis invicem dissidentium exemplum dederit. Nihil quippe certius, & exploratius. Reprehensionem ut ut maxime obnoxius videretur, si Sixtum Quartum, & Pium Secundum humanis duntaxat affectibus ductos inuisset, ut ita pugnancia decernerent. At nihil eiusmodi Canus noster, sed ita simpliciter: *Sixtus IV. docuit Divam Catharinam Senensem stigmata non habuisse; non defuit, qui contra iudicaret. Neutrius pontificis iudicium ad ecclesiam spectat; utrumque aut probare, aut improbare sine fidei discrimine possumus.* Vbi ne Franciscana quidem Sixti Quarti professio, aut Pii Secundi patria, nomenve, unde ad contraria decernenda moti credi possent, infirmantur.

CAPVT XIV.

De obiecta pontificibus negligentia, & oscitantia in castigandis Divorum historiis.

RAyraudum ancipiti, & æquivoco verbo lusisse existimabam, dum Canum nostrum læsæ pontificiæ maiestatis reum agit diatriba 2. de immunitate Cyriacorum a censuris, quod is lib. 11. de Locis, cap. 6. obiter inuisset, in castigandis, corrigendisque rerum sacrarum historiis, Divorumque, ut aiunt, legendis, *Romanorum pontificum prudentiam, & diligentiam desiderari.* Id enim a religioso præfule haud dubie dictum arbitrabar, ut pontificum hac in parte diligentiam, prudentiamque requiri, seu hanc illis necessario adesse significaret; quod tetricus censor pro deesse, ac deficere perperam accepisset, ut cavillandi ansam ariperet. Priori quippe sensu verbum hoc a latinissimis etiam scriptoribus interdum accipi nemo nescit. Cicero pro Quintio, qui in vita rationem summi officii desideremus, & instituta bonorum viro-
rum

rum requiramus. Libr. 5. epist. 104. ad Atticum: *Hæc longam desiderant orationem.* Verum cap. 6. libr. 11. de Locis semel & iterum evolventi mihi, afficta Melchiori verba reperire minime contigit: ac fallor maxime, si quis ea sit reperturus: cum privatos ibi duntaxat scriptores perstringat, qui in Divorum præsertim prodigiis describendis sparfos rumores & exceperere, & scriptis etiam ad posteros retulere: quorum in libris miraculorum monstræ sapius, quam vera miracula legere sit; nulla Romanorum pontificum mentione facta, quorum prudentiam, ac diligentiam in ea sacrorum dehonestatione castiganda, corrigendaque desiderari significarit. Vt quid ergo tam amarulenta Theophili Raynaudi in modestum, ac moderatum Theologum declamatio? *Huius sacrorum dehonestationis culpam omnem in pontifices refert superciliosus censor, solo nomine Canus, dicens eorum hac in parte prudentiam, & diligentiam desiderari.* Itaque dormitant, vel etiam altestertunt pontifices, dum Canus solus vigilat; & inimico homine superfeminante zizania fabularum, pro sacris historiis socordes, iudice quidem Cano, pontifices viam muniunt ad abrogationem fidei omnibus sacris historiis per cordatos faciendam. Gerra profecto, gerra, eæque vanissimæ viri ferrei oris, animique (ut minus loquar), parum prudentis, & cauti in clarissimo Theologo deprimendo.

Non antea institutis hinc vindicationibus finem imponam, quam stupendam Ambrosii de Altamura cespitationem lectorum oculis sistam, arguamque; (etsi nihil ad clarissimi Theologi defensionem res ista pertineat) qui Melchiorum Canum nepotis sui initio libri 11. meminisse ait, illiusque gratia volumen illud edidisse, illique, nisi prius fato celsisset, nuncupaturum fuisse. Vah pinguem errorem, putidumque anachronismum! de patre siquidem non de nepote loquitur Canus. Perspicuus adeo locus est, ut oculis tantum egeat, non interprete. *Superiorem locum, inquit, vixdum finieram, & ecce nuntius affertur, parentem meum charissimum Viennæ diem extremum obiisse: Cum autem ego illi meas has lucubrationes nuncuparem, scilicet a laboribus, quos eius potissimum causa susceperam, aliquandiu cessatum est, &c.*

Quamquam & ipse nepotem cognominem habuerit, eiusdemque instituti Dominici professorem, eximia sanctitatis fama apud suos, exterisque clarissimum; cuius pietatem, mentemque divinis charismatibus perfusam commendat Diva Theresia, epist. 16. quæ est ad Rev. P. Dominicum Bañez. Verum obiit Canus noster anno 1560. die 6. Novembris. Nepos autem vivere desiit anno 1607. die 30. Martii.

INDEX LIBRORVM, ET CAPITVM.

LIBER I.

- C**AP. I. De totius operis partitione. Pag. 1.
Cap. II. De duobus generibus argumentorum, quibus omnis disputatio transigitur. 2
Cap. ultim. De locorum Theologicorum numero, atque ordine. 3

LIBER II.

De auctoritate sacra Scripturae.

- P**ROCEMIUM. 5
Cap. I. De sacrarum literarum solidissimo firmamento, & quatuor machinis, quibus illud impetitur. 8
Cap. II. Vbi argumenta referuntur suadere volentium, quod Deus fallere aliquando potest. 10
Cap. III. Ostendit, Deum nec per se, nec per alium fallere unquam posse. 12